

quod curatione indiget. Idque per solam fit Disciplinam. Si omnes status perlustremus, fateri cogimur, collapsam esse disciplinam, & successisse foedam peccandi licentiam.

In Hierarchia vix vestigium aliquod disciplinae Ecclesiasticae veteris remansit, adeo, ut quantum Doctrinae puritate alios superamus, tantum ob disciplinae neglectum ab heterodoxis vincamur; Quo fit, ut quantum reformatione Doctrinae recuperavimus, tantum fere impietate vitae amiserimus. Cui malo, nisi restituta Ecclesiae atque Ecclesiasticis personis auctoritate & potestate cum consensu Ecclesiae coercendi scandala occurratur, vix ulla perennaturam Pacem in Ecclesia vel Republ. sperari posse existimo. In Scholis & Academiis praesertim quanta sit peccandi licentia, neminem fugit, adeo, ut plane in ea sim opinione, nisi Principes conjunctis viribus Barbariem & immanem illam licentiam, ex Academiis sint proscripturi, Academias tandem ad nihilum redactum iri. Quid juvat enim literas discere, & moribus corruptis simul imbui? In Republica viget adhuc aliqua Disciplina, sine qua nulla civilis societas consistere posset. Videmus enim in scelera inquiri, eorumque reos inventos merito affici supplicio, vel alias condignas luere poenas. Sed & hic multis modis impingi negari nequit. Super quibusdam enim delictis raro inquiritur. Nam, ut exemplis id declarem, Blasphemia, profanatio bonorum Ecclesiasticorum, Perjurium, Violatio Sabbati, injuriae reales Parentibus illatae, Monomachia, stuprum simplex, usuraria pravitas & similia raro in Inquisitionem veniunt. Verendum, ne etiam atrociora crimina, v. g. Infanticidium, Veneficium & alia impunita saepe relinquantur. Quamvis autem in delicta multa Magistratus inquirant, verendum tamen est, ne & hodie in poenis personarum habeatur respectus; & ii, qui in dignitate constituti sunt, leviter puniantur, vel impuniti dimittantur, meritisque personarum excusentur; in alios autem inferioris dignationis homines legum asperitas exerceatur, juxta illud Juvenalis:

*Dat*